OPUSCOLI

RACCOLTI DALL' ABATE

DOMENICO CAPRETTA

DI

CENEDA



Volume 6

Selezionati: nn. 6. 7. 8. 14. 16. 17. 19. 22. 32.

1 – 5, 1[illegible] – 13, 2[illegible] [illegible].

↓32

OPUSCOLO LATINO

sulla

DIGNITÀ DEL CARDINALATO

DELL' EMINENTISSIMO

AGOSTINO VALIER

VESCOVO DI VERONA E CARDINALE





VENEZIA
DALLA TIP. DI GIUSEPPE ANTONELLI
PREMIATO CON MEDAGLIA D' ORO
1833.

All'Eminentissimo loro Presidente

JACOPO MONICO

CARDINALE

PRETE DI SANTA CHIESA, PATRIARCA DI VENEZIA, PRIMATE DELLA DALMAZIA, METROPOLITA DELLE PROVINCIE VENETE, AB. COMMENDATARIO PERPETUO DI SAN CIPRIANO DI MURANO, CONSIGLIERE INTIMO ATTUALE DI STATO DI S. M. I. R. A., GRAN DIGNITARIO, CAPPELLANO DELLA CORONA DI FERRO DEL REGNO LOMBARDO VENETO EC. EC.



Se la Santità di Nostro Signore PAPA GREGORIO XVI *diede novella prova di quella alta sapienza che lo distingue, coll' innalzarvi, soffralo la Vostra modestia,* EMINENTISSIMO CARDINALE, *ad un grado di tanta rilevanza; diede al tempo stesso il più forte argomento alla nostra comune letizia nel vedere così fregiata di un nuovo splendore la già illustre Veneta Sede Patriarcale sostenuta e protetta dall' Augusto Religiosissimo nostro* SOVRANO.

Noi, cui è data la sorte al fianco di Vostra Eminenza, sotto degli occhi vostri e da Voi stesso guidati, di cooperare alla santa causa dei poverelli, ad offerire all'Eminenza Vostra un tenue omaggio della vivissima esultazione, di cui siamo tutti compresi, non disdicevole cosa riputammo il riprodurre sotto gli auspicii vostri un opuscolo intorno al Cardinalato dal nostro concittadino Agostino Valier *Vescovo di Verona e Cardinale, insigne non meno per*

sapere e dottrina, che per abito di esemplari ed intemerati costumi, intitolato al Cardinale e Santo Carlo Borromeo per averne appunto dallo stesso ricevuto l' eccitamento. Piaccia pertanto a vostra Eminenza nella somma Vostra bontà di aggradire questo lieve ma rispettoso tributo della profonda nostra venerazione, e così, se negli scolpiti marmi, se nelle incise tavole, se nelle coniate medaglie rimarrà a posteri nostri la veneranda e cara vostra Effigie;

in questa operetta rimarrà loro del pari, per così dire, il Vostro morale ritratto, tutte in essa venendo tratteggiate quelle somme virtù di cui siete fornito, e che degno vi resero della Sacra Porpora, e di una così eminente e distinta dignità.

I Membri della Commissione Generale
di Pubblica Beneficenza.

CARDINALIS

A B

AVGVSTINO VALERIO

EPISCOPO VERONAE

D E S C R I P T V S



CAROLO

AMPLISSIMO CARDINALI S. PRAXEDIS

AVGVSTINVS

EPISCOPVS VERONAE

Non sine magna humani generis utilitate, Cardinalis Amplissime, auctoris et principis rerum omnium Dei providentia factum est, ut nihil infra globum lunae sit omni ex parte perfectum: nimirum, ut superbum animal homo demitteret animum, et in coelum oculos, et mentem tollens, ad aeternam, in qua perfecta sunt omnia, patriam aspiraret. Inde fit ut nulla in arte quispiam ita excellat, ut alius in eadem non possit esse prae-

stantior: nemo tam bonus habeatur, aut sit, quin possit in dies magis proficere, et fieri melior. Est in omni scientia atque artibus, ut scis, quiddam summum, est perfecta quaedam forma, quam animus omnis pulchritudinis, aeternitatis etiam, capax, concipit, quaque delectatur maxime; eam tamen tyrannide corporis retardatus non assequitur. Quare Respublica descripta est, quae numquam fuit in terris, Orator depictus, qualis nec fuit, nec futurus est ullus, ea episcopi forma proposita, quam solus Christus omnino expressit, quam nemo post ipsum, aut quam paucissimi ob naturae infirmitatem magna ex parte retulerunt. Quod cum pro tua prudentia optime cognoscas, pulchra specie, nobili forma, et veluti idea rerum magnopere delectaris; voluptas liberalis, et pio homine digna. Quamobrem te Cardinalis figuram optare Romae mihi indicavit unus e Cardinalibus diaconis vir amabilissimis moribus, doctrina et vitae integritate insignis Antonius Cardinalis Caraffa; ipse eam mente concipiebat: variis occupationibus impeditus, exprimere non poterat, hortabatur magis, ut tibi obtemperarem; ut ipse aliquid conarer. Quid agerem? recusarem hunc laborem? id sine maxima molestia facere non potuissem. Rudem formam delineavi, quam aut ipse expoliet, aut tu vir pulcherrimarum rerum excogitator, pulchris coloribus exprimendam curabis. Vale, vir Dei, et servi diu, ut facis, Altissimo.

CARDINALIS

Praeclarissimam Cardinalis formam mente concipiens, eamque optans effingere, unde exordiar? A nascentis Ecclesiae initiis, ab ecclesiasticae Hierarchiae constitutione, a rege Christo, ab apostolici muneris origine, jure exordiendum videtur, ut forma, quam quaerimus, appareat magis et facilius dignoscatur. Coeli et terrae Rex, cum mundum plurimorum errorum caligine obscuratum cerneret, ita ut in eo omnes recte vivendi viae laterent, misit Unigenitum Filium suum, qui non solum ut lux disjiceret ignorantiae tenebras, ut magister salutaria praecepta traderet, ut servus humani generis commodis serviret, ut medicus mortalium languores sanaret, consuleret demum modis omnibus saluti animarum, pro quibus de coelo descenderat; sed etiam eumdem misit, ut Rex ecclesiasticam Hierarchiam ad imaginem coelestis, cui sanctissima Trinitas

praesidet, constitueret, Rempublicam christianam pretioso suo sanguine fundaret, mirabili ordine disponeret, optimis legibus moderaretur, et sanctissimis Sacramentis nobilitaret. In qua multiplici gubernatione, cum non unius tantum hominis, sed multorum opera esset necessaria, coetum Apostolorum sibi delegit, quorum ministerio in terris ad lucrandas animas, qui est ecclesiasticae Hierarchiae scopus, uteretur: e quibus unum reliquit Vicarium beatissimum Apostolorum principem Petrum, qui multo minus tantum onus, angelicis etiam humeris formidandum, sine ministris et consiliariis sustinere voluit. Inde apostolicum officium est ortum atque auctum. Inde romani Pontifices Petri successores semper habuerunt, qui eis perpetuo assisterent, et quorum consilio Ecclesiam Dei administrarent, et qui socii tribulationum, eos in pastorali orbis christiani cura, adjuvarent. Cum autem idem ipse Deus, cujus oculis omnia nuda, et aperta sunt sciret, fore ut sanctam illam Sedem, columnam veritatis, et verae religionis sacrarium, multi debita veneratione non prosequerentur, non pauci etiam, partim odio, partim malitia eam conculcare conarentur; ejus divina providentia factum est, ut aliquot post annos sanctissimo viro Sylvestro pontifice, Constantinus imperator excellenti pietate, et heroicis virtutibus praestans, ecclesiasticae auctoritati imperatoriam potestatem adjunxerit: urbem Romam, et multas alias civitates, et quamplurima alia oppida sanctae Ecclesiae, Pontificibusque romanis Vicariis

Christi perpetuum suae religionis testimonium donaverit; ut ea ratione summi Pontificis auctoritas, ac majestas fulciretur, et majore in honore apud omnes haberetur. Unde crescente Ecclesia factum est, ut romanum Pontificem varium ornatum in vestitu, et in aedibus adhibere oportuerit: ejus etiam coadjutores, et consiliarios Cardinales ad gravitatem, et auctoritatem retinendam, ad excipiendos hospites, qui ad sanctam romanam Ecclesiam confugerent, ad alendam virtutem, ad fovenda bona ingenia, ad sustinendos varios ecclesiasticae administrationis labores, vitae quoddam genus admittere expedierit. Quod etsi quibusdam ab apostolica humilitate diversum videri potuit: tamen credibile est, viros illos, qui primi eam vitae rationem instituerunt, magnam moderationem retinuisse, et numquam conditionis et muneris sui oblitos, mutationemque illam ab illis factam fuisse non tam voluntate, quam necessitate. Quam ecclesiasticam Hierarchiam, quem christianae Reipublicae statum ante oculos habens sanctus Bernardus ad beatissimum Pontificem Eugenium, quem praecipuo quodam amore dilexerat, scribens, sic Cardinalis formam delineavit. Ut esset vir in catholica Fide enutritus, non volens, nec currens, sed a Vicario Christi ad id munus vocatus, verecundus, praeter Deum nihil timens, nihil sperans nisi a Deo, compositis moribus, sanctimonia probatus, ad obediendum paratus, mansuetus, censura rigidus, in dispensatione fidelis, pacis studiosus, unitatis amator, in judicando rectus, in consilio providus,

in jubendo discretus, in disponendo industrius, in loquendo modestus, in adversitate securus, in prosperitate devotus, zelum habens secundum scientiam, misericordia minime remissus, in otio non otiosus, in hospitio non dissolutus, in convivio non effusus, in cura rei familiaris non anxius, rei alienae minime cupidus, suae non prodigus, legationibus et omnibus muneribus, quando opus est, Vicarii Christi jussu fungens, qui quod excusat, obstinatius non recusat: post aurum non it, sed Christum sequitur, Regibus, cum interdum eos alloquitur, Joannem, Aegyptiis Moysem, fornicariis Phineem, Heliam Idololatris, Helisaeum avaris, Petrum mentientibus, negotiatoribus Christum se praebens: vulgus non spernens, sed docens: divites non palpans, sed terrens: pauperes non gravans, sed fovens; minas principum non pavens, sed contemnens: vir orationis, orationi plus fidens, quam industriae vel labori; humilis cum humilibus, duros dure arguens: reddens retributionem superbis, non se nec suos ditans, relinquens pacem regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, ecclesiis ordinem, clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Has sanctissimus vir duxit lineas, quas si coloribus exprimere voluisset, pulcherrimam effinxisset Cardinalis figuram. Sed hoc ipsi non erat propositum, per digressionem enim in egregio illo opere de Consideratione Pontificem Eugenium paterno amore et magna modestia monebat, non Cardinalis formam proponere habebat in animo. Rudis vero

forma, quae habita horum temporum ratione, formari coepta est, aliquando expolienda haec erat. Ut Cardinalis sit vir ex orbe christiano a Vicario Christi romano Pontifice selectus, et in sacrum Collegium cooptatus, ut sibi perpetuo assistat, quemadmodum Christo antequam in coelum ascenderet, et Petro antequam ad praedicandum mitterentur: astiterunt Apostoli ut sustineat secum gravissimum onus: vir angelicis moribus praeditus, quatenus humana fert imbecillitas, qui charitate incensus ardet, ut unus de Seraphim in Ecclesia Dei: multiplici doctrina excultus, veluti unus de Cherubim in eadem domo Dei lucet: constantia animi confirmatus, ut Thronus justitiam facit, et aequitatem, senator orbis et urbis, libera dans consilia, in creando summo Pontifice, quae est consultationum omnium maxima, virum, quem putat optimum, et ad res agendas magis idoneum, pontificatum crucem existimantem, eligens. Pontificis frater, filius ejusdem, cor, et nobilissima portio, quotidianis precibus, sanctis sacrificiis, si est ad Sacerdotium promotus, sin minus frequentia sanctissimorum Sacramentorum cum summo Sacerdote interpellans ad Dominum pro peccatis populi: in sacerdotalis officii munere coadjutor vicarii Christi, rerum ecclesiasticarum peritus, jura Ecclesiae defendens, ecclesiam Dei assidue frequentans, ibique perpetui silentii, et eximiae devotionis exempla praebens, scelestae novitatis hostis perpetuus, depositi apostolicarum traditionum custos, frater Regum et Principum, oppressorumque

hominum patronus, avaritiae, et omnis impuritatis inimicus accerrimus: Pontificis oculus, ejusdem auris, interdum etiam os, qui eloquentiam numquam a vera sapientia disjungit, numquam utilitatem ab honestate separat, vera virtute delectatur, inanis gloriae umbra non capitur. Sic vivit, ut mortem non horreat, tam saepe mortem meditatur, ut splendorem Cardinalatus, veluti vanitatis occasionem, suspectum habeat; in maximis, qui ipsi exhibentur, honoribus est pavidus, domesticum tyrannum corpus observat, et domat precibus, et jejuniis. Urbe vero Roma egressus admirabilem gravitatem cum magna modestia conjunctam praesefert, formam urbis moribus suis referens, ad amorem sanctae Sedis apostolicae omnes allicit, invitat singulos ad luctum calamitosis his temporibus, quibus Regum et Principum christianorum discordia, formidabilis atque horribilis est populo Dei Turcarum ferissima natio; alienus ab omni vanitate, ad preces assidue fundendas, eos, cum quibus loquitur, hortatur, Episcoporum bonis institutis favet, Principes, quos alloquitur exemplo Imperatorum, Regum, et Principum, ad religionem colendam, et sanctam apostolicam Sedem fovendam excitat. Si ad haereticos mittitur, aut cum eis necessario sermonem est habiturus, vitae exemplo catholicam doctrinam confirmans, humilitate potius, quam dignitatis splendore, sanctimonia quadam magis, quam acumine ingenii eos in sanctae matris Ecclesiae gremium studeat reducere; paratus etiam falsam eorum doctrinam refellere sine

ulla jactura, et ostentatione. Nam popularis est bonitas, verae virtuti ita favet Dominus, ut Cardinalem illis moribus praeditum haeretici etiam diligant, ei minime contradicant, obediant potius. Vir est dilectus Deo, charus Christi Vicario, gratus sacro Collegio, admirabilis urbi, orbi venerandus. Hic autem paret romano Pontifici ecclesiasticae Hierarchiae principi, quemadmodum paruerunt Apostoli Christo et Petro, sustinet omnia pro Dei gloria, his difficillimis temporibus non abjicit animum, sed orat pro populo Dei, consulatur se ipse, summum etiam Pontificem cum eum tristem videt, commemorans sanctam matrem Ecclesiam in angustiis coarctari, non tamen debilitari, sed potius roborari, agitari procellis non opprimi, oppugnari saepe non expugnari, quati tempestatibus, non frangi, concuti non everti, cum diripitur ditari, cum vexatur illustrari: calumniis fieri praestantiorem, in martyrio triumphare, in miseriis esse beatam, quo magis impiorum tyrannide, et tyrannorum crudelitate et saevitia oppressa fuit, eo magis esse propagatam. A Pharaonibus populum Israel nobilitatum, a Neronibus Ecclesiam Dei illustratam, saepe impugnatam esse a juventute sua, supra dorsum ejus fabricare peccatores, Dominum autem concidisse cervices eorum, confudisse qui oderunt eam, eosque abiisse retrorsum. Hac ratione misericordiam Dei summo Pontifici ante oculos ponit, et alacritatem a perfecta fide in Christo profectam, et Ecclesiae precibus nitentem praesefert. Idem charitate

informatus, patientia, nobilissima virtute, septus, varios Ecclesiae casus, et sibi illatas injurias aequissimo animo fert, ea in re Davidem hominem secundum cor Dei imitans, ubi audit aliquem sibi detrahere, aut etiam maledicere, alienus ab omni ultionis cupiditate, conscientia fretus dicit delatori: Sine. Dominus praecipit ei, nimirum me ut exerceat, me ut doceat. Interpretatur omnia meliorem in partem, nemini invidet, aequalium suorum laudes libenter commemorat, suas virtutes celat, nullius gratiam simulatione et dissimulatione aucupatur, non cupit praeponi aliis, non affectat laudationes, sed tantum Dei gloriam quaerit, propriamque et aliorum salutem ante oculos habet positam, familiam suam paterno amore complectitur, eos qui cum eo sunt hortationibus, reprehensionibus, exemplo in primis instituit, et meliores conatur efficere, studet ut ex ejus domo exeant servi Dei, qui monasteria aliquando recreent, aut Ecclesiam Dei aliquo in munere suis laboribus adjuvent: multiplici doctrina ornatus, in primis eam tenet scientiam, quam magister magistrorum Christus Apostolos, quibus ipse post multos annos successit, docuit; epitomen nimirum pulcherrimarum rerum omnium, quas idem Christus Jesus tradidit. Scit se ipse contemnere, hoc est, quod tam difficile multi existimant, contemnit contemni, didicit mansuetudine nihil esse amabilius, vincere in bono malum esse nobilem victoriam, nobilissimam se ipsum vincere: cognoscit quam laudabilis sit luctus,

quam optabiles sint lacrimae, cum illis sordes animarum eluantur. Didicit sequendam justitiam, ut mirabilis rerum ordo servetur, ut pax, et tranquillitas alatur; misericordiam esse virtutem necessariam, cum miseriarum plena sint omnia, et omnes misericordia egeamus: munditiam cordis ab omni dolo, et fallaciis alienam novit esse omnibus honoribus anteponendam. Didicit quam bona sit pax, quandoquidem vere Christum imitantur, qui auctores pacis sunt, qui pacem habent, qui pacem quaerunt, qui pacem persuadent. Novit quot bona ab inimicis capi possint; quanta commoda maledicentiae et calumniae afferant, cum doceant patientiam, humilitatem, cum imitatores Christi homines efficiat. Cognoscit se esse debere sal terrae ut condiat orbem christianum, lucem mundi ut ignorantiae tenebras depellat: sibi ferendam crucem, quae in audiendis importunis hominibus, in tractandis difficillimis causis, in perpetuis occupationibus, in coercendis vitiis, in extirpandis malis consuetudinibus, in ferendis perversis ingeniis, consistit: idque ut successorem se ostendat Apostolorum his elementis, cardinalitiae, hoc est, apostolicae disciplinae imbutus, historias legit multas praesertim ecclesiasticas, ut senator orbis nihil tamquam novum admirari videatur, quod pueris, et illis qui historias non legerunt, accidit. In sacris libris, in jure canonico, in scholastica theologia, aut saltem in aliquo earum facultatum studio diligenter versatur, ut foedissima monstra quibus

infestatur Ecclesia ejiciat, ut quid jus praescribit, optime cognoscat. Ejus testimonio creantur Episcopi, dissidia multa tolluntur, ejus opera virtuti debita dantur praemia, ejus admonitionibus saepe multi a vitiis deterrentur, ita ut aliqua ratione Angelus videatur esse in terris. Bona enim nuntiare, consolari, corrigere, in officio continere angelicae naturae est, quam angelicam naturam vitae puritate, et perpetua castitate in primis imitatur. Senator orbis est cum summus Pontifex, cui assistit sit regnorum, omniumque administrationum interdum moderator, et arbiter, ab eoque, cum opus est, adhibeatur in consilium. Cum autem non depravetur consilium, nec corrumpatur caeco quodam, quo quis perdite se diligit, amore, aut invidia, aut odio, aut timore, omnibus perturbationibus est vacuus, unum in primis Deum diligit, ejusque amore caetera, quae amabilia videntur metitur, nihil timet nisi offensam Dei, rerum caducarum spe minime delinitus, vitam aeternam sibi proponit, in uno Deo omnes spes suas collocans. Cum vero aristotelica illa distinctio rerum, quae in consultationem cadunt, quinque illis capitibus comprehensa, de vectigalibus, de praesidio militum, de annona, de bello, et pace, et de legibus ad administrationem etiam ecclesiasticae Reipublicae accommodari possit; omnium, quae his capitibus continentur, est admodum peritus, quod quidem partim ex historiis, partim ex observatione rerum, quae singulis diebus eveniunt, consequitur, vectigalia cognoscit; item praesidia

urbis, et civitatum Sedi apostolicae subjectarum, quae etiam in illis sint militum turmae, iniquissimam pacem cum scelestissimo Satanae ministro Turca detestatur, et christianos Principes, ipsumque in primis Christi Vicarium ad foedera inter se ineunda excitat, si debitae cautiones adhibeantur, si temere non suscipiantur bella, si concordia tam necessaria, tamque utilis christiano populo prius stabiliatur. Contra perversarum opinionum disseminatores, contra portenta hominum tot monstra parientia, nimirum haereticos, bellum etiam excitat, hortatur ad id Principes, omnes interea vias proponit, quibus desertores filii in gremium, aut potius, in castissimos matris amplexus reducantur, inter reliquias christiani populi, qui nec tyrannide oppressus Turcarum, nec labe commaculatus haeresum, sanctam matrem veneratur Ecclesiam, omnino proponit, et miris laudibus extollit pacem optimarum artium altricem, quietis, et laetitiae sociam, charitatis sobolem, et humanae vitae optimum condimentum; levibus de causis, ut plerumque miserrimis his temporibus solet accidere, non esse turbandam pacem ostendit christianorum discordiis; immo etiam quarumdam familiarum fastu, magnas tragoedias excitatas, mutatas administrationum formas, interdum ad tollenda dissidia commemorat. Si charitate annonae pauperes opprimi videntur, vias indicare, et excogitare rationes conatur, quibus in usum populi, ad Dei gloriam, et ad commendationem illius administrationis vilior fiat. Leges

vero ecclesiasticas aliquot voluminibus comprehensas tenet, aut saltem earum praecipua capita habet in promptu: praesertim generalia Concilia in Spiritu Sancto congregata, postremum in primis hoc Tridentinum: Ecclesiae sanctae Dei, et populo christiano admodum salutare. Legum omnium, et decretorum ecclesiasticorum ita est observator, et tam acris conciliorum defensor, ut, quantum in se est, nihil contra eorum decreta fieri permittat, et si quid hac in re praetermissam fuisse audierit, statim id summo Pontifici indicet: cujus vacante Sede cum electionem fieri oporteat, quae (ut antea dictum est) omnium consultationum est maxima; quandoquidem cum de eligendo summo Pontifice agitur, agitur de homine ad altissimum fastigium evehendo, de divino homine ex multis deligendo; eodemque tempore agitur de Dei gloria procuranda, et de christiani populi salute. Qua in re quantum sit momenti testantur historiae, cum multae in Ecclesia Dei progressiones factae sint, sanctorum Pontificum exemplo, et opera. Et cum interdum non optimorum quorumdam Pontificum indulgentia nonnulla scandala in populo Dei sint orta, ita ut jure optimo bonus Pontifex salus populi christiani dici possit. Cum, inquam, de summo Pontifice electionem fieri oporteat, si ulla in re, spe, timore, aut caeco sui amore non perturbetur; in hac certe electione ab omni animi perturbatione sit liber audiat Sanctum Spiritum, qui fugerit semper optima consilia, praesertim in re

tanta eum invitet assiduis precibus et sanctis sacrificiis. Deum solum in tanta consultatione ante oculos habet, non propria commoda, non magnam, quam ante inierat cum aliquo amicitiam, non principum aut regum commendatitias litteras; naturae bonitatem spectat, virum ad culmen Ecclesiae vehere studet, qui gloriam Dei sibi in omnibus proponere sit solitus, sua minime quaerat, qui a propinquorum tyrannide sit liber, qui paterna charitate pauperes amplectatur: minime subdolum, minime fallacem, usu rerum edoctum, orationi in primis deditum, sanctissimis Sacramentis veluti cibis se ipsum in hac valle lacrymarum sustentantem: litteris excultum, minime iracundum, zelo tamen in haereticos, et in omni vitiorum genere contaminatos homines incensum, canonum, Concilii in primis Tridentini observantissimum; minime elatum, minime prodigum, modestiam immo potius humilitatem apostolicam ab omni fuco alienam vultu, et sermone praeseferentem, Pontificatum crucem putantem, quam crucem agnovit, et tulit cum lacrymis beatissimus ille Pontifex, omnium pontificum decus et ornamentum, Gregorius primus: qui de suo Pontificatu loquens his verbis usus est, sibi illa Davidis verba accommodans: Dejecisti dum allevarentur: alio etiam versiculo suum exprimebat dolorem: Percussus sum ut foenum et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Quae etsi verissima sunt, et Episcopi et Cardinales, multo magis summi

Pontifices, varietate negotiorum, suavitate contemplationis, et colloquiis cum Deo privantur; eorum animae fessae ita arescunt saepe, ut fons devotionis in illis siccetur. Crucem tamen illam magnam ferat aliquis, nobilissimam illam regendi populi provinciam suscipiat unus necesse est; in quo eligendo qui suis prospiceret commodis, aut qui debita diligentia non adhibita, temere quempiam ad tantum munus deligeret: aut Regibus, aut Principibus hac in re gratificari sibi proponeret: is sane non bonus senator, nec bonus vir appellari posset. In valde necessario Inquisitionis officio, quod re et nomine est sanctum, aut interpretatione decretorum sacri Concilii tridentini, aut in tractandis Episcoporum causis, aut in examinandis haereticorum libris, aut in gerendis cum Regibus, et Principibus negotiis, Cardinalis summum Pontificem adjuvat: a quo saepe frater nominatur, quia domum Dei ipse etiam nititur augere, quia communes possessiones, sacrarum literarum veram interpretationem, apostolicas traditiones, sanctae Ecclesiae ritus, canonicas sanctiones tuetur: omnia sanctae Sedis apostolicae jura defendit: quo fratris nomine eo magis gaudet, quoniam romanus Pontifex sacri Senatus Princeps nominatur. Hac ipsa fratris appellatione invitatus, modestia, et reverentia adhibita sibi licere arbitratur, Vicarium Christi libere monere, si quid in administratione Ecclesiae fieri contra decreta Conciliorum, aut etiam omitti animadvertit. Hujus apostolicae,

et fraternae libertatis exemplum reliquit sanctus Paulus, qui interdum beatissimum Apostolorum Principem primum Christi Vicarium, libere admodum monuit: amabilissimo filii nomine, quo saepe a summo Pontifice Cardinalis appellatur, ita afficitur, ut nihil magis fugiat, et nulla ex re majorem molestiam sentiat, quam in aliquo patrem omnium christianorum, episcopum orbis, tristitia afficere, et maxime nititur, ne illa Malachiae prophetae verba a Christi Vicario jure interdum possint usurpari: Si ego Pater, ubi est honor meus? et si ego Dominus, ubi est timor meus? Quare studet maxime, ut ea quae de filio sapiente scribit Salomon, nimirum eum esse laetitiam patris, in se conveniant, ita ut cum sit et habeatur optimus Cardinalis, sit laetitia principis. Idcirco in disciplina ecclesiastica in dies magis proficit: perversam illorum opinionem, qui quotidianam missarum celebrationem improbant, aut certe non laudant; eorum etiam, qui frequentem usum Sacramentorum, ut rem insolitam et novam, repudiant, non admittit, immo potius in sanctissimo illo sacrificio Christi auxilium implorat, ut Vicarium suum in terris dirigat, et sponsam suam dilectam tueatur. Eos, qui ad se veniunt, docet humilitatem; quo magis in excelsiore loco est constitutus, docet modestiam, de se ipso numquam aut raro verba faciens; docet humanitatem, facilem aditum ad se omnibus praebens, docet contemptum mundi, docet calamitosum et lacrymabilem Ecclesiae statum, docet esse

orandum sine intermissione, esse lugendum, esse poenitentia, et sanctis operibus justissimam Dei iram placandam; docet etiam publicis sermonibus christianae vitae rationem, praesertim in ea parochia, cujus titulo nominatur; ejus enim fidei illae animae videntur creditae: frequentat magna cum alacritate Ecclesiam, divinis officiis, praesente summo Pontifice, semper interest; sacerdotis aut diaconi quando opus est munere fungitur, qua in sacrosancta functione ita est exercitatus, ut qui adsunt in sui venerationem trahat. Si qui principes, si qui nobiles viri ab aliqua injuria affecti ad Sedem apostolicam veluti ad arbitram et matrem confugiunt, ipse justam eorum causam suscipit, et defendit; viros innocentes sublevat, injuriosos summi Pontificis auctoritate coercet, una cum summo Pontifice servit commodis et saluti populorum. E provinciis pravas consuetudines studet tollere, civitatibus proponit sanctos Episcopos, parochiis, et aliis ecclesiasticis muneribus idoneos sacerdotes nominat; viros bonos calumniis oppressos, et variis saepe litigiis vexatos tuetur. Cum vero communem matrem, et magistram agnoscat, et veneretur Ecclesiam Dei, et communes hostes detestetur haereticos, sectas haereticorum omnium omnino cognitas habet, et in illis libris, qui scripti sunt contra haereticos libenter versatur: quorum cum magna sit copia, eos diligit, qui sunt magis probati, et qui brevius, et dilucidius haereticorum commenta refellunt;

pugnae at sit assuetus, portenta hominum haereticos sciat jaculis confudere: qua in arte hoc saeculo admodum necessaria, ut peritissimus evadat, scholasticorum, et theologorum omnium libris delectetur; beati Thomae in primis aurea illa, et admiranda summa, consuetudine etiam doctorum virorum in controversiis dirimendis exercitatorum, libenter utatur. Quod si, ut nonnulli ex sacro illo Collegio fecerunt, et adhuc sunt qui magna cum laude id possunt facere, libros scribat populo Dei utiles, quibus haereses confutentur. Amplissimo loco, quem in Ecclesia Dei tenet, splendorem addit non minimum, et in hoc maxime romani Pontificis frater, qui tanto studio ejus auctoritatem tuetur, et sanctae Ecclesiae optimus filius, qui ejus limites fortiter defendit, agnoscitur. Est praeterea custos depositi; et apostolicarum traditionum ab omni novitate, utpote omnium seditionum, et variarum calamitatum in populo Dei altrice, alienissimus. Locum qui a catholicis viris uberrime tractatur de apostolicis traditionibus servandis, in promptu habet, et saepe commemorat. Custodiendum depositum, sacram vetustatem venerandam, patres nostros sequendos, qui Ecclesiam magistram, omnium errorum expultricem, audierunt. Pro his traditionibus, pro sanctae Ecclesiae auctoritate, qua christiana Religio, perfecta sapientia in primis nititur, pro hac, inquam, Sede apostolica, pro illo deposito, ad quod custodiendum sanctus Apostolus discipulum Thimotheum hortatus est, sanguinem paratus est fundere. Rubrum illum pileum,

quem capite gestat, non solum interioris suae in Deum et proximum charitatis testem, sed etiam alacritatis ad effundendum sanguinem, si opus sit, pro tuenda Sedis apostolicae dignitate, indicem affirmat: quod sanctos illos primorumPontificum coadjutores fecisse legimus: quod Longobardorum etiam temporibus cum Vicarii Christi variis injuriis afficerentur, non paucos fecisse constat; difficillimas legationes suscipientes, et magnis se periculis, ut summo Pontifici obtemperarent, objicientes. Eloquentiae est amator, quam tamen numquam a sapientia disjungit; est latinitatis observator, sed ab ecclesiasticis vocibus non abhorrens, ab omni verborum strepitu alienus, moderato, gravi, et sententiarum potius copia abundante, quam verborum splendore, ornato sermone utitur: et in explicanda in Consistorio sententia sua, eam prudentiam, gravitatem et modestiam adhibet, quam decet orbis terrae Senatorem, in tanto orbis Senatu, et coram patre, qui vicem Christi gerit in terris. Quamobrem nec sibi placet in texendis longis sermonibus, nec ciceronianum se esse profitetur, sed libere, graviter, modeste, dilucide, et verbis ecclesiasticis explicat sententiam suam, qua laude excelluerunt aliqui proximis annis, duo in primis, quorum alter alteri successit pontifex, Marcellus nempe II et Paulus IV, quorum sententiae, cum Cardinales essent, ut viri probatissimi testantur, veluti oracula aliquot annorum spatio habebantur. Utilitatem ab honestate non separat; quamobrem in sermonibus et in actionibus suis honestatem semper habet

propositam. Quod cum pietate, cum religione conjunctum est, quod virtutes alit, quod a vitiis abhorret, id honestum ducit, id sequitur, id proponit: quod de vera pietate, de apostolicae Sedis auctoritate vel minimum possit detrahere, id adversatur, id fugit, id detestatur. Virtuti, qua nihil est formosius atque amabilius, semper favet, viros bonos et eruditos ad se invitat, et veluti bonitatis et doctrinae explorator, si quempiam in urbe testimonio et commendatione sua egere cognoscit, eum Pontifici commendat, et in hoc justitiae legem maxime servat, cum ingenium inani familiae splendori, bonitatem commendatitiis literis, assiduis etiam officiis, doctrinam omnibus bonis externis anteponendam existimat. Qua ratione bonorum et literatorum patronus, et quasi pater efficitur, et dum hac in re boni viri fungitur munere, fungitur etiam officio optimi Senatoris, nihil laudabilius existimans, quam ut virtuti sit locus. Perniciosae prudentiae regulas fugit, de quibus longum scribi posset volumen; idcirco non fruitur utendis, non sibi nec aliis adulatur, non simulat, non probat illud nempe violandum jus regnandi causa: non diligit tamquam avarus, non quaerit semper quae sua sunt, se ipse studet cognoscere, innumerabilia Dei beneficia commemorat, hanc vitam plenam aerumnis, variis periculis expositam non immoderate cupit protrahere: et quis sana mente praeditus id cupiat, cum ad peccandum tam proclives simus? cum pugnandum sit perpetuo cum acerrimis inimicis satana, mundo, carne? quibus etiam difficilius

resistunt, qui divitiis et honoribus abundant. Quare illa ipsa insignia splendoris, quae communi hominum opinione magni fiunt, quibus omnes assurgunt, pro quibus consequendis tantum studium, tantamque diligentiam plerique ponunt, ipse considerans, sic interdum secum loquatur. Nonne me cum his ornamentis, cum his titulis tres manent terrae cubiti? an non etiam ipse hac lucis usura brevi cariturus, eo deducar ubi amplissimi etiam hujus muneris rationem sum redditurus, daturusque poenas, si disciplinam neglexero, eo graviores, quo et illustrioribus beneficiis, et insigniori titulo ad omnem virtutem, et ad charitatem in primis Christi Vicarius me invitarat? Quo pompa majore, et nobiliore comitatu deducitur, eo diligentius ea considerat, quae beatus Bernardus Eugenio Pontifici scripsit quid, quis, qualisve sit: et secum dicit: Pulvis, cinis, umbra, terrae minima portio, quamvis tot tantisque honoribus afficior, conditionis meae obliviscar? homo infirmum dicam, an miserum potius animal? variis peccatis obnoxius, quamvis me beatum multi judicent, peccata mea et aliorum non lugeam? Addit, qualis denique sum? an ea qua deberem charitate incensus, an consilia quae mihi suggerit Spiritus Sanctus mihi ipsi, et aliis semper propono? dignus sum qui habeam patrem Vicarium Christi, ut a quo tam saepe dulcissimo filii nomine appeller? Cum in vaticanum multis deducentibus de more, et tibicinibus etiam sonitu excipientibus venit, sic secum ipse commentatur: Deducant utinam me in sacrosanctum

illum et aeternum senatum, in patriam celestem angeli et archangeli Dei. Et cum antequam sacra celebrentur venerando summum Pontificem, erigit mentem, et sic secum ipse loquitur: Ut nunc verum Christi Vicarium veneror, ita sanctissimam Trinitatem adorem in coelis. Vir Dei his meditationibus se ipse erudiens non effertur, mortem meditatur, quae meditatio prodest plurimum ad animi moderationem retinendam. Cardinales, qui proximis annis ex hac vita migrarunt, in memoriam revocans, reperit non paucos immatura morte praereptos. Summorum etiam Pontificum sepulcris et variis mutationibus, quae Romae paucorum annorum spatio fiunt, ad contemnendam vitam, et ad mortem expectandam eruditur. Quamobrem vitae exitum expectat, in tot ac tantis rerum prosperitatibus pavet, jejuniis, precibus, sanctis Sacramentis insidiosam corporis tyrannidem reprimit. Dilectus Deo, quia ejus praecepta custodit, quia, ut ei pareat, diligit proximum. Charus Pontifici, quia cum ipso servit populo Dei, quia eum numquam fallit, quia sanctae Sedis apostolicae dignitatem, non propria commoda ante oculos habet. Gratus sacro Collegio, quia sibi nihil tribuit, nemini se ipse praeponit, quia nemini detrahit, quia de omnibus, quantum in se est benemereri cogitat. Admirabilis urbi, quia non admiratur res humanas, quia coelestem patriam spectat, quia perniciosum consiliarium mundum vana suadentem, vir varia eruditione, et multis virtutibus instructus, non audit. Hunc veneratur orbis, quia virum sanctum, et

plane apostolicis moribus se esse ostendit, quia senatoria quadam gravitate singulos in sui amorem et admirationem convertit, quia ad angelicam vitam, contemptis terrenis rebus, proxime videtur accedere. De hoc audiuntur haec voces: Hic est vir Dei, hic gaudium Pontificis summi: utinam omnes sui ordinis huic essent similes; hic est lumen Ecclesiae, et decus Sedis apostolicae: hic dignus, qui suo tempore in terris vicem gerat illius, quem nunc maxime diligit, et cujus praecepta servat Christi. Adduntur etiam haec: Dominus conservet eum, et vivificet eum; hunc virtutis patronum, et afflictorum hominum refugium, hunc illustrium virtutum exemplar, diutissime incolumen habeamus. Jam ad pulcherrimarum omnium formarum artificem confugiamus, et in absolvenda nobilissima forma ecclesiasticae Hierarchiae admodum necessaria, ejus auxilium imploremus.

Coeli et terrae gubernator Deus, humani generis conservator, et populi tui defensor, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui Filium tuum Unigenitum Jesum Christum legatum ad inimicos tuos, quorum inobedientia et variis peccatis ad iracundiam eras provocatus, misisti, ut pacem annuntiaret, ut se exinaniret, et formam servi accipiens, sua servitute mundum a satanae tyrannide liberaret, eumdem pastorem, ut gregem fame verbi tui pereuntem, et inedia spiritualium ciborum tuorum tabescentem, pasceret: qui eum misisti speculatorem, ut a mundi illecebris, animas ad

imaginem et similitudinem tuam creatas, tueretur, unde pastoralis ars nobilissima ortum duxit, in qua a nascentis Ecclesiae tuae principiis egregios multos discipulos et sanctos pastores tuo Sancto Spiritu instruxisset; benignissime Pater, cum eumdem Unigenitum Filium tuum Salvatorem nostrum regem etiam ecclesiasticae Hierarchiae tuae constitueris, sacrum Collegium regendum populo tuo necessarium esse judicaveris, concede, quando ille idem Filius tuus Salvator mundi, prostrato satana, devicto mundo, coeli januis apertis, placata (quod miseriarum nostrarum erat caput) justissima ira tua, ascendit in coelum, et nunc sedet ad dexteram tuam, concede, inquam, clementissime coeli et terrae rex, Ecclesiae sponsae Filii tui, quam tanto pretio redimendam judicasti, perpetuos ministros, qui nihil aliud, quam honorem et gloriam nominis tui ante oculos propositam habeant; longe semper absit ab ecclesiastica Hierarchia, a regno tuo, invictissime rex, praesertim a sacro, quem constituit Filius tuus, senatu, ab illo summorum pontificum seminario, omnis dolus, adulatio, rerum humanarum admiratio: regina omnium virtutum charitas adsit perpetuo; nihil unquam in eo loco proponatur, nihil statuatur, quod ad gloriam tuam non spectet: nemo sua quaerat, sed tua, nemo perperam agat, sed secundum legem Evangelii Filii tui, et secundum canones, quos sancta mater Ecclesia, quam numquam errare permittis, decernit. Omnes consiliarii, quos adjuvare vicarios ejusdem Filii

tui jussisti, noverint officium suum, intelligant sacram rem esse consilium, magnum esse theatrum, in quo constituti sunt: in consiliis te quaerant, in actionibus suis gloriam tui nominis spectent. Et cum pro tua providentia Vicarii Christi auctoritatem imperatoria etiam potestate muniendam statueris, instrue, Domine, omnes Apostolorum successores, romani Pontificis fratres et filios salutaribus documentis, ut se ipsi noscant; norint in rerum abundantia servare paupertatem spiritus, sciant vitare invidiam hominum; modestia et laboribus assiduis, consilio, auctoritate, atque opibus suis etiam inopum calamitatibus subveniant; praesentem reipublicae statum saepe considerent: in tot et tantis, qui ipsis exhibentur honoribus, se ipsi observent, timeant, maxime ne tuam majestatem offendant: et omnibus rebus externis contemptis ad coelestem senatum, ubi tu Deus trinus, et unus praesides, aspirent. Te etiam sacri Consistorii princeps, et primorum institutor Apostolorum, quibus ii qui in sacro Collegio sunt, diverso nomine successerunt; te, inquam, Filii Dei, sanctae Ecclesiae Sponse, qui interpellas perpetuo pro nobis, Jesu Christe, appello, gravissimis peccatis populi tui iterum atque iterum provocatus, interdum non optimis Vicariis, et non probatissimis eorumdem consiliariis, ut id justissimae irae tuae esset indicium, eumdem populum tuum punire voluisti. Unde variae calamitates christiano orbi evenerunt, cum jam in spem adducti simus aliqua ex parte justissimam iram tuam

esse mitigatam, conserva nobis diutissime hunc Pontificem, quem habemus Gregorium XIII, fidelissimum servum tuum, et benignissimum orbis christiani patrem. Cum autem illum ad coelum vocaveris, da populo tuo ei, et proximis Pontificibus, similes. Idem studium, idem zelus, eadem diligentia, eadem charitas sit perpetuo in successoribus Petri, quae antea fuit in Leonibus, in Gregoriis, in Piis, et in aliis sanctissimis Pontificibus, quorum nomina scripta sunt in coelo. Tu, bone Jesu, magister orbis, humani generis Salvator, qui solus pacem pro nobis impetrare potuisti, Apostolis tuis dixisti: Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes judicantes duodecim tribus Israel: et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit. Et paulo post: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos, sed qui voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut Filius hominis venit non ministrari, sed ministrare; et dare animam suam in redemptionem pro multis. Haec in animis illorum, qui Vicariis tuis semper assistunt, Apostolorum successores semper haereant verba: sequantur te, Christe, in omnibus, ut quemadmodum nunc veluti sacerdotes levitici generis judicant in rebus spiritualibus

orbem: ita in adventu tuo judicent duodecim tribus Israel. Domum tuam, relicta propria domo, Domine, sanctam Ecclesiam ornent, beatissimo christianorum omnium Patri in primis obtemperent, eum numquam tristia afficiant. Sacerdotes bonos, probos etiam viros fratrum loco habeant, pauperes paterno amore complectantur, centuplum accipiant, et aeterna demum vita perfruantur. Non dominantes in clero, sed forma facti gregis, sint forma humlitatis, forma sobrietatis, forma charitatis, forma ecclesiasticae disciplinae, ministrantes Regum, Principum, provinciarum, civitatum, oppidorum saluti, oppressos, viduas in primis, et pupillos sublevantes, et gloriam tuam, rex aeterne, assidue procurantes, ut eorum pietate, et sanctimonia excitatae Germania, Anglia, et aliae provinciae, quae infeliciter nimium a sponsa tua divulsae sunt, in ejusdem castissimos amplexus redeant. Sit sacrum Constosirium exemplar sanctitatis, sit stimulus ad ecclesiasticam disciplinam, sit speculum probitatis, sit flagellum haereticorum, sit impiorum confusio, cum summa reverentia, quae merito ei exhibetur, conjunctus sit amor populi tui. Tu, Domine, Linum et Cletum, tu Clementem ei, quem principem Apostolorum constituisti, Petro coadjutores dedisti. Tu Pontificibus bonos ministros semper elegisti, tu, ubi coadjutores Vicarii tui Cardinales appellari coeperunt, Bonaventuras, Ugones, Cusanos, Ægidios, Turrecrematos, Cajetanos, Roffenses, et alios quamplurimos

eximios viros Ecclesiae tuae dedisti: ornasti etiam his temporibus sacrum illud Collegium viris in omni laudum genere praestantibus. Fac Domine, ut nunc decorem Ecclesiae tuae videant, qui eam conculcare conantur, ut confundantur et revereantur qui quaerunt ei mala, qui detrahunt, qui omnia in deteriorem partem interpretantur, qui urbem Romam, ea, qua deberent pietate, non complectuntur, qui cum habeant oculos, nolunt videre, cum habeant aures, nolunt audire mirabilia, quae operatus es, Domine, in illa urbe. Converte, Domine, furentes homines, et convertentur, adjuva eorum infirmitatem, amove ab eorum cordibus duritiem, ametur sponsa tua, ejus voces audiantur, quia si auditae fuerint, audieris et tu, et praecepta tua servabuntur; orietur pax, tranquillitas, concordia, et multis, et variis perturbationibus, et calamitatibus, populus tuus liberabitur.

Haec est rudis Cardinalis forma, quam anno sanctissimi Jubilaei in reditu ab urbe Roma ad propria, ut viro Dei obtemperarem effinxi. Expoliat, qui ad eam me delineandam est hortatus. Forma valde rudis est, politissimo artifice est opus, qui pulchris eam exprimat coloribus.



